

HEINRICVS DE GAVDA.



**H**einricus ille in sacris scripturis optimè uersatus est, ita ut alios Theologos facile superaret. Etat enim ingenio subtilis, & disputator scholasticarum quæstionum acutissimus. Itaq; factum ut in gymnaſio Heydelbergensi legendo, docēdo, & scribēdo suo tempore primas obtinuerit. Eius tempore Sigismundi Imperatoris & Eugenij pōtificis uoluntate Concilium Basiliēse celebrabatur. ad id Heinricus publico nomine missus fuit, ut contra Hussitas suum ingenium explicaret. id quod etiā acerrimè præstitit. Scripsit inde super tertio sententiārum, & de quæstionibus disputatis librū, floruit anno 1430. Trit.